Chaszynski Casimiri Jos: Conclusiones theologicae de Angelis.

In Nomine Domini, Amen.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ, DE ANGELIS.

Ex 1ma parte D. THOMÆ Doctoris Angelici.

PRÆSIDENTE

M. CHRISTOPHORO SOWINSKI,

Sac: Th: Professore, Collega Maiore, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI & Pilecensi CUSTODE, CANCELLARIO Łęciciensi, &c.

A

M. CASIMIRO IOSEPHO CHARZYNSKI,

In Alma Vniuersitate Cracouiensi Philosophiæ Doct: & Prof.

Scholæ D. ANNÆ Seniore,

Publicè ad disputandum.

In Augusta D. VLADISLAI IAGIELONIS Aula,

PROPOSITÆ.

Anno Dñi 1686. Die 21. Septembris.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.



Tolle THOMAM, Dæmon, Stygijs ex faucibus, inquit;
Desinat esse THOMAS, non Petra Petrus erit.
De Cruce, sed CHRISTUS, verbis cælestibus, infert:
Scripsisti de me, dogmata cuncta bene,
Styx sileat, Dæmonq; gemat, cælumq; triumphet;
Dogmata quando THOMÆ comprobat ipse DEUS.

CHRISTOPHORUS De Zborow, ZBOROWSKI,
Eloquentia & Philosophia Auditor.

CÆLI DISCIPULO,
VERBI ÆTERNI AUDITORI,
DOCTORI ANGELICO,
D. THOMÆ AQVINATI

Qui

Cælesti ac radiante doctrinâ;

DIVINÆ VOLUNTATIS INTERPRES

Angelus in vita

VERITATE PLENA SAPIENTIA

à

Spiritu S. Divinitùs inspirata

Æternitatis Aris consecrata

Orbi æterna expones mysteria, Cælesti approbãte veritate:

Bene, de me, Thoma, Scripsisti;

Virginis Deiparæ testimonio, ac præconijs coronata;

Angelorum colloquijs explanata

Ab

Apostolorum Principibus frequenti Magisterio

condecorata,

Singulari ordine, perspicuitate mirâ, stylo breui, facundiâ

gratâ, celsâ, clarâ, firmâ sententiâ,

sine ullo prorsus errore

CONSCRIPTA;

verè

DOCTOR ANGELICVS

Novus Salomon

THOMAS in Ecclesia, non in Helicone Apollo

Fortissimus Catholicæ Fidei, Athleta, inexpugnabili

scriptorum clypeo

in

Militante Ecclesia

Hæreticorum tela feliciter eludens,

ET
Rectum FIDEI
ORACULUM,
Fulgentissimum Ecclesiæ
SIDUS
in Concilijs;
Lateranensi: Lugdunensi: Tridentino:
LUX;
Primarium S. Theologiæ
LUMEN
Multarum & distinctarum Nationum
DOGMA & LINGVA,
Diuinarum Reuelationum
MOYSES,
Salmaticensium, Complutensium; Romæ: Lutetiæ: Bononiæ:
Neapolis: Patauij: Aureliani:
FULGOR
AUGUSTÆ REGUM FILIÆ:
Ingeniorum Augustissimæ Matris,
Serenissimæ in Cælo Septemtrionali
AURORÆ
UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS
AQVINATICUS SOL
Ecclesiam DEI: Orbem Uniuersum: Cathedras: & Uniuersitates publicas, Dogmata, & sæcula omnia
ad stuporem
omnis ætatis
ILLUSTRAVIT;
VERITATE PLENAM SAPIENTIAM
DE ANGELIS
vt
ANGELICO DOCTORI
Conclusionibus publicis erudito certamini expositam
profundæ venerationis cultu & VOTO
Mancipat, Committit, Inscribit, Consignat.
Deuotissimus Cliens,
M. C. L. C.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ, DE ANGELIS.

De Angelis Naturaliter: idq́; secundùm se.

DAri Angelos & Fides & lumen naturale docet. Quorum si nomen spectetur; non naturæ, sed officii est. Ab Aristotele dicuntur Intelligentiæ. Sunt puri Spiritus, ita vt & Materiæ corporeæ & Spiritualis expertes sint. Ex Natura sua incorruptibiles; à Deo tamen annihilari possunt. Immutabiles, seu inuariabiles secundùm suum esse; & secundùm aliqua mutabiles, id est, quoad Scientiam & Cognitionem extra verbum: quoad Voluntatem: quoad Operationem: Locum: Motum progressiuum: & à bono in malum. In tempore creati: idq́; simul cum hoc mundo sensibili: ipsâ primâ die Creationis eius in Cælo Empyreo: & ob quatuor præcipuè fines, id est, ad laudandum DEVM, ad præsidendum Creaturæ corporeæ, ad regimen & custodiam hominum, & ad consequendam Beatitudinem æternam. Distinguuntur inter se Specie omnes, etiam eiusdem Ordinis: nec possunt intra eandem Speciem, etiam de potentia DEI absoluta, multiplicari. Multitudo illorum est maxima; non tamen infinita: nec credibile est, illam esse tantam, vt excedat Numerum omnium huius vniuersi Indiuiduorum. Maior nihilominùs est numerus illorum, quàm specierum vniuersi materialium: & maior, quàm Indiuiduorum Naturæ humanæ.

De Angelis in Ordine ad Corporalia.

ANgeli aſſumunt corpora: illaq́; formant virtute propriâ; ordinariè ex àëre; licet poſſint illa formare, ex quolibet Elemento: imò ex pluribus commixtis. Non poſſunt tamen in illis exercere Opera vitæ ſenſitiuæ, ſeu operationes vitales elicere; ſed tantùm aliquas actiones ſimiles vitalibus, quoad motum Localem, vel terminum eius. Vnde comeſtio illorum, in apparitione Abrahæ & Tobiæ, non fuit vera; ſed tantûm figuratiua Spiritualis. Et ſic nec propriè loquuntur; ſed tantùm apparenter.

De Loco Angelorum.

ANgeli ſunt in Loco, non propriè, ſed metaphoricè: nec ſunt in illo immediatè per ſuam ſubſtantiam, vel per modum aliquem vnionis ad corpus; ſed per operationem virtualiter tranſeuntem: idq́; ſi de loco connaturali illis loquamur; ſi verò de violento, ſunt in ipſo per Paſſionem. Nec actu, nec potentiâ ſunt in ſpatiis Imaginariis, ſeu extra cælos: nec poſſunt moueri in vacuo, vt Corpus: nec vnus eſſe in Eſſentia alterius, vel in eſſentia Animæ Rationalis vt in loco. Neq; neceſſitantur, vel coarctantur in ſpatio ſuæ virtuti adæquato; ſed poſſunt ſe in minori collocare. Vnus non poteſt naturaliter eſſe ſimul in pluribus locis adæquatis; benè tamen ſupernaturaliter. In pluribus verò inadæquatis, ſeu partialibus, etiam diſcontinuis & inter ſe diſtantibus, intra ſphæram nihilominùs ſuæ actiuitatis contentis, poteſt ſimul viribus naturæ eſſe. Plures autem licet poſſint eſſe ſimul in eodem loco materiali; non tamen in eodem formali & adæquato, per modum Cauſarum Principalium, benè verò partialiter & inadæquatè. Quod totum intelligendum, quoad Locum connaturalem. Si verò ſit ſermo de violento; in hoc poſſunt plures ſimul eſſe, qui vel ſit violentus vtriq́;, vel vni connaturalis & alteri violentus.

De Mo-

De Motu Angelorum.

ANgeli mouentur localiter, ſeu, de loco ad locum. Et iſte motus non eſt propriè motus, ſed impropriè & æquiuocè. Poſſunt moueri & motu per ſe & motu per Accidens. Motus per ſe, eſt inhæſiuè in ipſo Angelo: idq; ſi conſideretur ſecundùm id, quod dicit in recto; ſi verò conſideretur ſecundùm id, quod dicit in obliquo, eſt in loco corporeo, cui applicatur. Motus autem per Accidens eſt ſolùm inhæſiuè in eo ipſo, ratione cuius mouetur. Moueri quoq; poſſunt, tàm motu contiuo, quàm diſcreto. Et hoc motu, poſſunt tranſire de extremo ad extremum, non tranſeundo per medium: idq; ſiue illud ſit communicans, ſeu participans; ſiue non communicans, ſeu non participans. Mouent quoq; res alias à ſe: per intellectum & voluntatem, vt & ſeipſos. Motus tamen illorum non eſt in vnico inſtanti; ſed ad minimum duo requiruntur inſtantia, tam in motu ipſorum Continuo, quàm in Diſcreto.

De Menſura Angelorum.

ANgelorum Eſſe, menſuratur Æuo; Operationes verò illorum diuerſas habent menſuras, id eſt, aliquæ menſurantur æternitate participatâ, ſ. Viſio Beatifica: aliæ Æuo, ſ. cognitio naturalis, quâ ſe cognoſcunt, & amor, quo naturaliter ſe amant: & aliæ Tempore, idq; vel continuo, ſi ſint continuæ; vel Diſcreto, ſi ſint diſcretæ. Porrò Æuum, Lucifero peccante, reſidet in Supremo, qui remanſit in Gloria, reſpectu aliorum Angelorum.

De Angelis ſecundùm ea, quæ ad eorum Intellectum & Voluntatem pertinent: idq; de Cognitione Angelorum ſecundùm ſe.

ANgelorum Cognitio, seu Intelligere, non est ipsorum substantia, vel Esse; sed distinguuntur realiter; vt & ipse eorum Intellectus distinguitur ab illorum substantia. Non est tamen in illis intellectus Agens & Possibilis, vt in nobis.

De Medio Cognitionis Angelorum.

ANgeli indigent Speciebus ad cognoscendum alias Res à se. Illas tamen non accipiunt ab illis; sed ipsis sunt in instanti Creationis à DEO infusæ; ita vt nec supernaturaliter per species ab ipsis acceptas possint intelligere. Nec etiam illas accipere possunt à Rebus Spiritualibus: nec possunt eas formare de nouo ex Obiectis, quæ cognoscunt, vt Phantasia & intellectus noster. Intelligunt per Species Vniuersales, id est, plura Obiecta simul repræsentantes: & quò Superiores in Natura, eò per vniuersaliores.

De Obiecto Cognitionis Angelorum.

ANgelus cognoscit seipsum per suam substantiam, seu Essentiam vt per speciem, & per eandem omnes proprietates suas. Vnus tamen non potest cognoscere alium per suam Substantiam vt per Speciem: nec per Substantiam ipsius Angeli cogniti, sed per Speciem illius, sibi à DEO in instanti Creationis infusam. Deum verò cognoscit Angelus per suam substantiam vt per Speciem. Superiores comprehendunt inferiores; isti verò non possunt comprehendere Superiores ex virtute sui intellectûs; nisi superueniente illuminatione à superioribus; licet imperfectè. Cognoscunt singularia, etiam materialia: idq; tam ipsa, quàm omnia eorum Accidentia, per eandem speciem, per quam cognoscunt Naturam specificam, illis communem. Futura contingentia & libera non possunt naturaliter & seclusâ DEI reuelatione, certò & Infallibiliter cognoscere; nisi certè coniecturaliter. Nec

quoq; talia prǽterita, quorum non perceperunt prǽsentiam, aut quæ nullum sui reliquêre vestigium. Nec seclusâ Dei reuelatione, possunt cognoscere secreta Cordium, seû cogitationes mentis, tam Angelicæ, quàm humanæ; nisi etiam coniecturaliter. Similiter nequeunt cognoscere naturaliter Res supernaturales, seu Mysteria Gratiæ. Vnde per fidem in via solùm cognouerunt: DEVM esse Trinum, Authorem Gratiæ, & Finem vltimum supernaturalem. Mysterium verò Incarnationis tantùm cognouerunt, quoad substantiam & principales Circumstantias; alias verò non cognouerunt per fidem, sed vel à principio suæ Beatitudinis in Patria, clarè & intuitiuè eas viderunt in verbo: vel extra verbum, per speciales reuelationes eis factas.

De Modo Cognitionis Angelorum.

ANgeli respectu sui & DEI vt suæ Naturæ Authoris, sunt semper in actu secundo intelligendi. Intelligentiæ quoque motrices cælorum continuò illos intelligunt. Et Angeli Custodes suos Clientes & quæcunq; illorum curæ commissa sunt, semper cognoscunt. Et dæmones suos semper cruciatus & alligationem ad ignem corporeum apprehendunt. Non possunt simul plura, per modum plurium intelligere; benè tamen per modum vnius. Discursus in illis non datur: nec dari potest propriè dictus. Nec cognoscunt componendo & diuidendo.

De Dilectione Angelorum.

ANgelus seipsum & DEVM vt Authorem Naturæ, amat necessariò, non tantùm quoad specificationem, sed etiam quoad Exercitium: & naturaliter magis diligit DEVM, quàm se. Nec potest se magis, quam DEVM diligere naturali dilectione; sed solùm liberâ & Electiuâ.

De Illuminatione Angelorum.

VNus Angelus illuminat alterum, id eſt, Superior inferiorem: non è contra. Quod de Angelis damnatis intelligi non poteſt. Quæ illuminatio fit de Rebus Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ. Fit verò per propoſitionem Obiecti Angelo inferiori ignoti, & per oſtenſionem Medii proportionati ad illud concipiendum.

De Locutione Angelorum.

VNus Angelus loquitur alteri: etiam inferior ſuperiori. Quæ Locutio fit per ordinationem, ſeu directionẽ conceptuum vnius ad alterum. Nec Localis diſtantia impedit illorum Locutionem: & vnus poteſt loqui ad alterum, abſq; eo, quòd eius Locutionem alij percipiant.

De Hierarchiis & Ordinibus Angelorũ.

HIerarchiæ Angelorum ſunt tres; Ordines verò, ſeu Chori ſunt nouem, in illis contenti. In quarum prima & ſuprema collocantur: Seraphim, Cherubim, Throni. In ſecunda, ſeu media; Dominationes, Virtutes, Poteſtates. In tertia, ſeu Infima: Principatus, Archangeli, Angeli. Quid verò Nomina hæc ſignificent? rectè S. Bernardus *lib: 5. de Conſid. cap. 4.* explicauit. Amat ſiquidem in Seraphinis, vt Charitas: Contemplatur in Cherubinis, vt Veritas: ſedet in Thronis vt æquitas: imperat in Dominationibus, vt Majeſtas: regit in Principatibus: tuetur in Virtutibus: corroborat in Poteſtatibus: reuelat in Archangelis: aſſiſtit in Angelis. Quæ diſtinctio partim eſt ab ipſorum Natura, partim à Gratia illis cõceſſa.

Et iſti Ordines, quoad differentiam Graduum ſ. Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ, poſt diem Judicii manebunt; quoad executionem verò officiorum, idq; non omnium, ſed tantùm eorum, quæ præſtant modò, non manebunt. In damnatis autem ſolùm manebunt quoad perfectionem Naturæ.

De Miniſterio & Cuſtodia Angelorum.

ANgeli quatuor primorum Ordinum ſ. Seraphini, Cherubini, Throni & Dominationes, nunquam in miniſterium mittuntur, idq́; tam de lege Ordinaria, quàm Extraordinaria; ſed ſolùm quinq́; Ordinum inferiorum. Mundi gubernatio Angelis Beatis à DEO eſt commiſſa & cuſtodia hominum: idq́; ſingulorum, maximè fidelium: idq́; ſinguli ſingulorum ſunt Cuſtodes. Datur verò homini Angelus Cuſtos, ab eius ex vtero Matris natiuitate & non ante: idque vſque ad mortem & non poſt. Aliquando tamen ipſum in vita deſerit loco; non tamen quantùm ad affectum cuſtodiæ: & etiam in ſtatu innocentiæ habuit illum. Beatiſſima Virgo habuit Cuſtodem Gabrielem Archangelum; CHRISTVS tamen Dominus non habuit Cuſtodem Angelum vt potè caput illorum. Pontifices, Reges, & aliæ perſonæ publicæ, præter Angelum ab ortu natiuitatis ſibi datum, habent alium: idq́; Superioris Ordinis, ab eo tempore datum, qno incipiunt habere curam Communitatis. Singulæ quoque Nationes, Regna, Prouinciæ & Ciuitates, habent Angelos Cuſtodes. Et quidem ſoli Angeli infimi Ordinis hominibus, Archangeli verò & Principatus, Nationibus Regnis *&c.* dantur. Quod autem Sacerdotes peculiarem habeant Angelum celebrando, valdè probabile cenſet D. Th. Qui verò iſte ſit? alij cenſent eſſe illum, cui templi vel altaris cura commiſſa eſt: alij, idq́; probabilius, proprium Sacerdotis cuſtodem. Singulis quoq́; Rerum generibus & ſpeciebus, an præficiantur Angeli, probabile eſſe habetur.

De Angelis ſupernaturaliter, id eſt, quoad Gratiam & Gloriam.

ANgeli creati ſunt in Beatitudine Naturali; non verò in ſupernatnrali. Et in Gratia quoq́; Sanctificante; quam per

propri-

propriam dispositionem receperunt. Hæc verò Dispositio, est actus charitatis. Porro via Angelorum, tam bonorum, quàm malorum completa fuit tribus Instantibus, *Primum* instans, in quo omnes imperfectè meruerunt, durauit solùm per vnicum instans nostri temporis. *Secundum,* in quo boni in bono perseuerârunt & mali peccauerunt, parti nostri temporis coëxtitit. Quantùm verò illud fuerit tempus, non constat, sufficit, quod finitum sit ante lapsum Adæ. *Tertium* Instans, vt mensurauit primam receptionem præmij, aut pænæ Angelorum, vt stâtem sub nouitate essendi, coëxtitit instanti nostri temporis; vt autem dicit gloriæ, aut pænæ permanentiam & durationem, nec mensuratur tempore nostro vel Angelico, nec æuo, aut æternitate Essentiali, sed participatâ.

De Culpa, seu Peccato Angelorum.

PRimum peccatum Angeli fuit superbia: nec aliud, quàm illa, esse poterat. Vnde non peccârunt Luxuriâ: nec Inobedientiâ, nec inuidiâ; nec aliquo errore. Materia, seu Obiectum excellens, circa quod superbijt, non fuit omnimoda æqualitas cum DEO in natura: nec vnio hypostatica: nec Appetitus expressus Beatitudinis supernaturalis, vt acquirendæ viribus proprijs; sed fuit appetitus inordinatus Beatitudinis naturalis. In primo tamen instanti suæ creationis peccare non potuit. Et Supremus inter peccantes, fuit Supremus inter omnes, ex ordine Seraphinorum. Cuius peccatum fuit causa alijs peccandi: non quidem cogens, directa, & ex parte principij actûs peccaminosi mouens; sed indirecta & mouens ex parte obiecti. Peccauerunt autem ex pluribus ordinibus, & plures remanserunt.

De Pæna Angelorum, seu Dæmonum.

ANgeli præuaricatores statim post peccatum pulsi sunt

de cæ-

de cælo: idque in infernum detrusi. Non semper tamen in inferno detinentur, sed interdùm DEI permissu, inter homines super terram vagantur, in àére caliginoso terræ vicino, ratione exercitationis humanæ. Post diem Iudicij, omnes in inferno per æternitatem detinebuntur. Torquentur, vt & animæ damnatæ, igne inferni: qui materialis; seu corporeus est: idq; per alligationem ad ipsum virtute DEI. Quæ alligatio, causat in illis formam realem, ad prædicamentum Qualitatis pertinentem. Intellectus eorum est totaliter obtenebratus, seu obcæcatus: & voluntas totaliter obstinata, ita vt nullum opus moraliter bonum possint efficere. Radix vero, seu causa obstinationis illorum Intrinseca, est inflexibilitas Liberi eorum Arbitrij; Extrinseca est subtractio Diuinæ Gratiæ. Quam iustè illis DEVS denegauit.

Cui Laus, Honor, & Gloria, in æternum.



SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS.

Perillustris, Magnifici, & Reuerendissimi Domini,

D. M. SAMUELIS FORMANKOWIC,

I. V. Doctoris, & Professoris, Protonotarij Ap
stolici, Canonici Cracouien: Sanctorum Om
um Custodis, Contubernij Iagieloniani Pro
uisoris, Curati Coniusensis, Studij Almæ
Vniuersitatis Cracouiensis, Generalis,
& Vigilantissimi

RECTORIS.

~~Charzyński Casimir[?] &c.~~

~~Conclusiones theologicae de Angelis~~